

Bernhard Friedrich Quistorp

**Viro Magnifico Ac De Orthodoxia In Doctrina Coelesti Immortaliter Merito Domino Franc. Alberto Aepino S. S. Theol. Doctori Ac Professori Iudicii Ecclesiastici ... De Sexta Regiminis Academici Ipsi MDCCXXXIX. VI Cal. Maii Facta Collatione Pio Voto Acclamaturvs De Palo Pavlli Apostoli Non Vnico Morbo Hypochondriaco Sedvariis Generatim Adflictionibvs**

Rostochii: Typis Joann. Jacobi Adleri, [1739]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003403395>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 6.Maj.1739  
Quistorp, Bernh. Frid.







*Glückwunsch*  
*für* VIRO MAGNIFICO  
AC  
DE ORTHODOXIA IN DOCTRINA COELESTI  
IMMORTALITER MERITO

DOMINO  
FRANC. ALBERTO  
AEPINO

S.S. THEOL. DOCTORI AC PROFESSORI IVDICII  
ECCLESIASTICI QVOD SVB CONSISTORII NOMINE  
FLORET CONSILIARIO DEXTERRIMO

DE  
SEXTA REGIMINIS ACA-  
DEMICI IPSI

MCCXXXIX, VICAL. MAII  
FACTA COLLATIONE PIO VOTO  
ACCLAMATVRVS

*Thema*  
DE  
PALO PAVLLI APOSTOLI NON VNICO  
MORBO HYPOCHONDRIACO SED VARIIS  
GENERATIM ADFLICTIONIBVS EXPLICANDO  
DISSERIT

*des* BERNH. FRID. QVISTORPIVS  
S. S. THEOL. ACPHIL. CVLTOR.

ROSTOCHII  
TYPIS JOANN. JACOBI ADLERI, SEREN. PRINCIPIS  
ET ACAD. TYPOGR.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

44

*b. Wiedewahl zum  
Rektor*

1739



NON EST quod dubitem, VIR MAGNIFICE, susceptum a me negotium haud TIBI esse ingratum. ratio enim, qua ad id sum adductus, et quae est studium explicandi animum TIBI deditissimum, quum nullum mereatur vituperium, nec ipse actus, quo ea effectui datur, TVAM experietur indignationem. hanc animi sententiam magis magisque corroboratam sentio, considerans ardorem, quo haud pauci ad idem negotium expeditum omnia parant; quod si TIBI displiceret, nullus sane esset qui id susciperet. communem hinc cum illis faciens causam, quos honor denuo TIBI collatus, qui in eo, quod regimini praefectus es academico, consistit, animi excitavit motus, mox mox sum declaraturus, qualemcunque modo praemittens disti 2 COR. XII. COMM. VII. explicationem, cui quod hocce in scripto detur locus, TE ob humanitatem, quae singularis prorsus TIBI est, in malam haud esse interpretaturum partem, firmiter credo.

§. I. METAPHORICARVM loquutionum cautus circumspectusque vsus quantum sermoni scriptive conciliet elegantiam, perspectum est, quibus ueram stili elegantis indolem atque naturam inspicere licuit. ut ut vero eas gratæ acceptæque sint audientibus  
legen-

legentibusue, qui studiose rimantur, quid illis adumbretur; neque tamen & hoc diffiteri potest quispiam, haud leue interpretibus inde oriri onus, quod si ea, a quo metaphora illa desumpta, & ad quod applicata, multis modis, varioq; respectu sibi inuicem adcommodari queant quum enim metaphora adsit, quando vox a propria significatione ad aliam propter similitudinem transfertur; adferri non poterit, verum scriptoris sensum quempiam adsequutum esse, nisi tertium, in quo conueniunt, sit inuestigatum, & idem quidem illud sit repertum, cuius respectu a scribente res ita est denominata. *cum verum* inquit GLASSIUS\*, a quibus metaphorae dicuntur, proprietates saepe multae sint, igitur accurate videndum, ut medium comparationis seu ratio similitudinis recte inquiratur atque exprimatur. quam difficilis vero atque ardua haec sit inuestigatio, haud aegre quis existimauerit, quando secum expendit, varia tertia comparationis adesse posse, quorum quodlibet sufficit, ut vox proprium sensum iam habens, de altera quadam re enuntietur inapproprie. quod si porro, quod saepe numero fit, explicatio vel praedicatorum enumeratio istius rei, quare alteri nomen metaphoricum sit inpositum, terminis metaphoricis iterum enuntietur, atque hi iisdem difficultatibus sint inuoluti, quas in metaphora in genere paullo ante notauimus: luce fere omnia (quam scrutinium vocum in se caeteroquin subministrare potest) interpretes sunt priuati, nec habent, unde pedem tuto figere queant, hanc non postremam esse rationem, quare varia loca non scriptorum profanorum solum, sed & sacrarum pandectarum (quae non fidei tamen morumque doctrinas, sed historica atque minus necessaria complectuntur) huc usque apodictice nondum sint explicata, nemo dubitabit, qui, quae haecenus exposui, curatius ad animum reuocauerit. ex eodem fonte promanasse reor hypotheses a variis conceptas, quas, ut quid per palam, quem sibi datum conqueritur APOSTOLVS 2 COR. XII. 7. designetur, explicare queant, adoptarunt.

A 2

runt.

\* PHILOL. SAC. L. V. TR. I. C. VI. p. m. 1527.

runt. hunc enim dum carni suae infixum dicit PAVLLVS metaphora vitur, eamque continuat, palum istum angelum satanae, qui colaphis eum adfligeret, dicendo. commentatores tertium ergo vel similitudinem, cuius respectu voces istae metaphoricæ sunt adhibitæ, inuestigaturi in varias abierunt partes. omitto recensioem hypotheseum a variis propositarum, cum otium maximam partem fecit VACHNERVS\*, solummodo commemoro quæ haud ita pridem lucem adspexerunt hoc de argumento scripta sunt vero ea tres dissertationes, quarum prima a CEL. BENNER \*\* GISSAE 1734 est ventilata; secunda a CEL. RVSMEYERO \*\*\* GRYPHISW. 1731. proposita, & tercia CEL. RIESIO adiuuante MARBVRGI HASSORVM 1724 est defensa\*\*\*\*. hac posteriori vero dum CL. AVCTOR defendendum sibi sumit, palum istum PAVLLI malum fuisse hypochondriacum, argumenta vero ipsius his perficiendis me iudice minime sufficiunt, operam dabo, vt euincam, *palum istum PAVLLI non de unico tantum malo hypochondriaco sed variis generatim adfectionibus esse explicandum.*

§. II. DE ORDINE huic commentatiunculae adhibendo sollicitus, non nisi vnum conspicio, quem materiae indoles mihi sistit, & cui inhaerendum erit, ecquis enim non intelligit, dum nobis cum aduersario, ex cuius mente palus PAVLLI vnum quoddam singulare malum indicat, cum ex nostra opinione plura sub se complectatur, res sit, implicare si prius quam argumenta ipsius e medio sustulerim, meae sententiae probationes adferrem? ecquis est, qui non videt, si hunc sequeretur ordinem, a vitio, quod petitionem principii nominant, haud liberatum iri? hoc ergo euitaturus malum, tractationem hanc in duas distribuam partes, quarum prior argumen-

torum

\* de palo PAVLLI.

\*\* f. t. disquisitio exegetica de palo e carne PAVLI extracto,

\*\*\* f. t. disquisitio exegetico-theologica de palo PAVLI siue angelo satan apostolum affligente.

\*\*\*\* f. t. exercitatio academica de morbo PAVLI APOSTOLI ad 2 Cor. XII. 7.

torum CL. RIESII resolutionem, posterior nostram qualemcunque pali PAVLLI explicationem continebit. ut ne vero tota nostra cum CL. AVCTORE controuersia in logomachiam abire videatur, ut statum controuersiae rite formemus, quo eluceat, in quo cum eo consentiamus, in quo ab eo discedamus necesse erit. ISTE ergo dum a § VIII, vsque ad XXII. plurimum studii collocauit, ut ostendat, per palum PAVLLI intelligi morbum; atque hic definiens de la MOTTE\* est praua constitutio corporis humani aetiones laedens; non est cur ipsi hactenus repugnem. verum si § XXII. edisserat: *ex illis igitur, quae hactenus disputauimus, (ostendit vero quod ὁ σκολοψ* APOSTOLI sit morbus) *patescere putamus per σκολοψα & ἀγγελον σκαταν commodissime morbum aliquem, quo corpus PAVLLI infestatum fuerit, intelligi posse, & § XXIII. ad veritatem propius accedere nobis videtur sententia, qua statuitur, morbum, quo laborauit sanctus apostolus, illud malum fuisse, quod medicorum filii vulgo HYPOCHONDRIACVM vocant; hoc vero monente paullo ante excitato de la MOTTE\*\* est morbus spasmodico flatulentus a chylicacine laesa & glandulis intestinalibus atque reliquorum viscerum obstructis, hinc humoribus viscidis ortus; indeque elueet. CL. AVCTOREM, PAVLLVM vnico, nempe hypochondriaco laborasse morbo credere, in eo me nullatenus ipsi suffragari posse fateor, quandoquidem neutiquam persuadere mihi possum: *malum hypochondriacum fuisse morbum, quo PAVLLVS adfectus fuerit.**

§ III. HAEC vero dissensio ne sine ratione sufficiente animo concepta videatur, meum iam erit, argumentorum a DOM. RIESIO in sententiae praesidium productorum examen quoddam instituere, ut adpareat, ea nec vim habere, nec opinionem istam roborare. ad octenarium vero numerum dum ea excreuerunt, quodlibet sigil-

A 3

latim

\* dissertat. de morbo hypochondriaco ARGENTOR. 1738. edita § XVII p. II.

\*\* l. c. § XXVI. p. 14. quam definitionem eam ob causam adiecimus quo si comparatur cum ea quam auctor tradidit, indoles huius mali eo clarius elucescat.

latim et ordine abs AVCTORE obseruato perpendemus. PRIMVM horum, quod § XXIV. reperimus, petium est a natia vocis σκολος significatione. cum enim ea (nempe vox σκολος) inquit AVCTOR I c. pungendi habeat significationem, facile quiuis videt, hypochondriacum morbum per hanc admodum proprie exprimi posse, ille namque ΩΣΗΕΡ ΡΑΦΙΣ ΚΕΝΤΕΙ. at quid omnibus hisce lucretur CL. AVCTOR facile, dummodo, in formam syllogismi fuerint deducta, quae adlegauit, coniiciantur. haud enim in praesenti breuitati studens, disquiram, vtrumne CL. AVCTOR ex nimio in excogitatum suam hypothesin adfectu significationem voci σκολος tribuat, veteribus haud consuetum. ad minimum ipse confiteretur § VIII. p. 13. varium atque multiplicem penes scriptores profanos huius vocis esse significationem\*, & loca ab ipso adlegata eum, quem h. l. ei tribuit, tam plane, vt optat, non demonstrant. sed ponamus, verum istum vocis esse significationem, non tamen id inde efficitur argumento ipso, quod ab eo sibi pollicetur AVCTOR, medius enim terminus quem sit: VELVT ACV PVNGERE sequens euadit MAIOR: quicumque morbus velut acupungit, iste est morbus hypochondriacus. in quo vero haec adsumtio fallat, intellectu non est difficile. namque a nuda aptitudine vel possibilitate ad praesentiam ipsam & actualitatem istius, quod possibile est, concludere incertum est quam maxime. vt rem exemplo declarem, constat inter omnes, duas esse vias ordinarias, quibus ROSTOCHIO HAMBVRGVM quis proficisci potest, alteram per WISMARIAM, alteram per SVERINVM. sicut ergo perperam ita quis ratiocinaretur: quicumque ROSTOCHIO HAMBVRGI advenit, is WISMARIAM transit, cum nil obstat, quo minus altera via seu SVERINEN. Si eo contenderit: ita & AVCTORIS fallit argumentum, quia plures dantur morbi, eiusdem cum malo hypochondriaco naturae, si notionem illam generatim spectes. ea ex notione, quod acui quasi morbus

\* Qui verus autem sit, operose ex scriptoribus veteribus eruit CEL. CARL. HENR. LANGIUS observationibus sacris p. 159. seq.

morbus PAVLLINVS pupugerit, malum hypochondriacum abs AVCTORE ei addicitur, eadem quoque & alii ipsi adhaesisse adfirmari potest quod si quis interferat, alios morbos non velut acupungere, ei oppono morbum, qui colicus dicitur

§. IV. SECUNDVM CL. RIESII argumentum inde desumptum est, quod varia loca tam sacra quam profana PAVLLO adscribant corpus valde debile atque infirmum. *non minus inquit \* ideuincitur ex eo, quia TOTVM PAVLLI CORPVS infirmum & debile fuit, atque γαλαπῶρον. at vero hypochondriacum illud malum ΣΩΜΑ ΠΑΝ TOTVM CORPVS pungit, ac grauem ipsi molestiam parit, longe lateque per illud serpens.* quibus omnibus quae qualifue insit vis videbimus, simulac forma induero syllogisticae fit haec: cuius corpus debile valde, infirmum atque γαλαπῶρον est, is adfectus sentit hypochondriacos. ATQ PAVLLI E. ecquis est, qui non intelligit, CL. AVCTOREM in maiori propositione vnicae adscribere caussae, quod plures sibi tamen vindicare possunt? ita philosophari si liceret, vel id facillime defendi posset, qui in nosocomio decumbunt, morbo hypochondriaco detineri. verum nec vsus loquendi, nec indoles atque natura mali hypochondriaci hoc permittunt. ecquid enim aliud medio isto termino innui potest, quam quod qui corpore tam debili atque infirmo est instructus, sit valerudinarius vel morbo quocunque laboret, vti vero non omnis valerudinarius malo statim hypochondriaco decumbere dici potest; ita nec de PAVLLO hoc potest praedicari, miserrimus si vel maxime respectu sanitatis fuisset homo. leuibus alia accedit ratio, cur MAIORIS consequentiam haud admittamus, morbi enim huius hypochondriaci, vi definitionis §. II. supeditatae, caussae oriuntur ex intestinorum humani corporis statu corrupto; quod si itaque hoc malum PAVLLO tribuere voluisset, eiusmodi intestinorum statum corruptum, vnde peruenit iste morbus in eo fuisse, demonstrare debuisset. verum enim vero, debilitas infirmitas atque miseria, quam AVCTOR vocat & ex qua colligit PAVLLVM

LVM doloribus hypochondriacis excruciatum fuisse, non fuit interna sed externa ad vultus habitum spectans, patet id ex propria locorum abs AVCTORE in subsidium vocatorum inspectione, quin immo, nisi me omnia fallant, ipsa ab eo \* translata verba CHRYSOSTOMI & NICEPHORI id produunt: *PAVLLVS corpore erat parvo & quasi incurvo, atque paululum inflexo, facie candida, annosque plures prae se ferente & capite calvo.* haec omnia vero dum sunt signa miseriae externae, non internae, haud sufficiunt, vt PAVLLVM hypochondriacos inter numeremus.

S. V. AD TERTIVM CL. RIESII argumentum progredientes conspicimus, eum inde hypothesi suae colorem induere velle, quod palus iste PAVLLI non ossibus sed carni infixus dicatur. *ad haec, inquit, \*\* cum APOSTOLVS, carni suae inditum esse, profitetur hinc palum, quotusquisque est, qui non deprehendit, hoc hypochondriaci adfectus iterum esse praedicatum? occupat enim is non ossa, sed carnem.* hinc sequens formandus est syllogismus: quicumque morbus non ossibus sed carni inhaeret, is est morbus hypochondriacus. ATQVE PAVLLI morbus caet: E. generatim hic adnotandum, CL. AVCTOREM vocem  $\sigma\alpha\sigma\zeta$  sumere in sensu proprio, quo massam carneam ab ossa distinctam denotat; cuius tamen quum plures sint significationes, probe indicante BOTSACCO\*\*\*, aliam sibi elegit S. R. DOM. RVSMEYERVS\*\*\*\* de naturali homine cum omni sua  $\epsilon\zeta\omicron\chi\eta$  siue corporis siue animi siue fortunae spectato eam explicans, cui tamen adsentire haud possumus, communem hac in re cum CL. RIESIO facientes causam, THEOLOGORVM aliorumque interpretum saniorum ad id adducti regula: a proprietate litterae non esse recedendum, nisi summa urgeat necessitas; quae quum hic non adsit, proprie intelligendam esse vocem  $\sigma\alpha\sigma\zeta$  puto. non.

\* diff. cit. §. XVI. nota v.

\*\* diff. cit. §. XXVI. p. 30.

\*\*\* moralibus gedanensibus TIT. CARO p. m. 143.

\*\*\*\* diff. §. I. cit. §. VI. not. \* p. 18.

nondum tamen AVCTOR propterea obtinet, quod intendit, syllō-  
gismi potius MAIOREM haud vniuersalem pronuntiare coactum  
me video. obstant enim alia morborum genera, quibus medius  
iste terminus: *non ossibus sed carni insunt*, eodem iure comperit, quo  
cum AVCTOR noster malo hypochondriaco competere proclamat.  
character enim hic si hypochondriaco proprius esset malo, hydorpi,  
tumorque, & quae adhuc sunt plura, nomen mali hypochondriaci  
esset inponendum; hae enim morborum species non ossibus sed  
carni insunt. quanta vero hinc non oriretur confusio? ea, quae  
hactenus circa MAIORIS argumenti huius consequentiam adduxi-  
mus, καὶ ἀνδρῶπων sunt disputata; iam vero & ipsius suppositi, quod  
nempe malum hypochondriacum numquam ossibus inhaereat, falsi-  
tatem ostendemus. praecipuos inter mali huius effectus, testanti-  
bus peritioribus MEDICIS, & is reperitur, quod flatibus corporis  
exitus haud concedatur. ordinarias ita vias migrare dum impediun-  
tur, aliam quaerentes, caput tentant. illud vero dum ab omni par-  
te ab ossibus oclusum inueniunt, violentos suscipiunt motus, & ce-  
rebrum & ossa laedentes, hincque cephalalgiam excitantes, nonne  
ergo & ossibus inest? liceat mihi, vt MEDICI cuiusdam verbis  
hanc depingam veritatem. ita de la MOTTE\*: *in capite lentas  
trahens particulas (loquitur vero de massae sanguineae visciditate,  
tamquam con causa symptomatum cum malo hocce connexorum)  
nunc cephalalgiam procreat immanem, nunc in choroideae oculi vasis  
haerens, scotomias producit, nunc in auris vasculis stagnans, tinnitum  
aurium facit, mox ipsam cerebri medullam premens, vertigines gignit.*

§. VI. SAEVITIA atque vehementia mali hypochondriaci  
QUARTO AVCTORIS argumento materiam substernit. *quis  
alius morbus, inquit \*\* magis κακῶφιξει hominem, quam hic ipse, id  
quod etiam in PAVLLINO malo additur. datum enim dicit sibi palum,  
vt se κακῶφιξει.* multum postea ex alia notione verbi κακῶφιξει  
disputat, quae omnia eo tendunt, vt tertium similitudinis in morbo

B

repe:

\* diff. cit. § XXXI. p. 18. \*\* l. c. §. XXVII. p. 30.

reperiri hypochondriaco, ostendat. haec quomodo cohaereant, vt nobis eo melius repraesentare queamus, ita ratiocinatus sit CL. AVCTOR, necesse est: si PAVLLVS palo suo colaphis est caesus, sequitur vt malo laborauerit hypochondriaco. ATQ PAVLLVS E, cum MAIORE nullam connexam esse conuictionem dum sine dubio praecidit CL. AVCTOR, duplici modo eam corroborare animus est ob duplicem similitudinem, cuius respectu de palo isto PAVLLINO praedicatum illud *κολαφίζειν* enuntiari potest. 1) dum is qui colaphis adficitur, velut obtunditur, vt sui ipsius non sit conscius, ita PAVLLVS doloribus a palo proficiscentibus quasi obtusus fuit, vt ex statu distinctae in obscurae repraesentationis statum translatus fuerit. magnitudo hinc dolorum quum adligatur, eam AVCTOR ad malum adplicat hypochondriacum, non alium, inquit, morbum magis *κολαφίζειν* quam hunc. verum si maior gradus dolorum in morbo quodam designandus est, prius definiri debet, vtrum ex multitudine symptomatum, an ex paucorum vehementia sit diiudicandus. quod quum neglexerit AVCTOR incertus haereo, quorsum respexerit. iuuat interim, morbo eius hypochondriaco alium opponere morbum: apoplexiam, vulgo *die schwere Nacht* dictum. hic sane, si quis alius, cum malo hypochondriaco de grauitate dolorum certat. tristissimae huius in corpore humano sunt operationes, eos qui eo adfliguntur, ita obrudentes, vt nihil plane distinguant. fac ergo, hunc malum hypochondriacum doloribus non superare, ad minimum tamen aequabit. hinc dum aequali hominem *κολαφίζειν* modo ac alter, nulla amplius vis primae AVCTORIS inest MAIORIS probationi. ad alteram ergo nobis iam erit progrediendum. 2) vti colaphi non nisi actione successiua, quae tempus postulat, insigi possunt; ita dolores a PAVLLO perpeffi aliquando adsunt, modo absunt, mox vehementiores fuerunt, mox paululum remissiores sunt. haec CL. AVCTOR ad malum iterum adplicat hypochondriacum, eaque dum in eo deprehendi supponit, PAVLLVM isto laborasse, concludit. *notio*, inquit \* *huius verbi*

\* h. c. § XXVII. p. 32.

verbi (κολαφιζειν) alternationem indicat, & haec obtinet in malo hypochondriaco, quod instabile est & perpetuis obnoxium vicissitudinibus, errans αλλοτε αλλη. porro, inquit\* dolores non assidui sunt & perennes, sed κολαφισματων insar alterni, incrementa, decremента sua habentes, nunc acriores ac contentiores, nunc remissiores, quin saepiuscule plane cessantes. verum enim vero abs AVCTORE modo recensita non sunt characteres veri nominis sed spurii. character PHILOSOPHIS dicitur id, vnde res potest cognosci & ab aliis distingui, hincque rei distinguendae proprius esse debet. ecquis autem non videt, vicissitudinem etiam aliis competere morbis? podagrae sane omnia abs AVCTORE adlata exacte conveniunt. instabilis enim est perpetuis obnoxia vicissitudinibus, dum errat αλλοτε αλλη. modo enim vim suam exerit in pedibus, modo brachiis, modo & ciliis: quamvis non ignorem, tum huius generis dolores aliam nancisci denominationem. dolores inde orientes quoque mox esse acriores, mox remissiores, nemo certe, qui morbi definitionem in memoriam sibi revocat, negabit. eam denique saepius plane cessare, restantur, quotquot ea diuexantur. characteres ergo hi dum sunt accidentales, ex eorum praesentia non magis ad mali hypochondriaci, quam aliorum concludi potest praesentiam. fac, hos sufficere ad accuratam rerum distinctionem, nonne brutis competeret nomen hominis, & hominibus nomen bruti?

VII. NEQVE scopus morbi PAVLLINI, ut ne nempe supra modum sit elatus, AVCTORI nouum & ordine iam iam QVINTVM argumentum suppeditare potest. hunc dum aliter vix obtineri posse credit, nisi adfectibus hypochondriacis, sequentibus mentem exprimit:\*\* si quis alius, certe adfectus hypochondriacus deprimit hominem, frangit eius animum & moestitia perfundit, adeo saepe profunda, ut sibi ipsi non constet, & haud libenter in congressu multorum commorari soleat. duo in hoc ratioe cinio sunt notanda. 1) supponam, malum hypochondriacum huic fini consequendo aptum est.

B 2

fe

\* eodem loco. \*\* l.c. §. XXVIII. p. jr.

se, quod tamen haud alio sensu admitti potest, quam quatenus naturalia effectui spiritali occasionem praebent, & ad eum a gratia diuina diriguntur; sed a nuda possibilitate ad actualitatem haud posse concludi, §. III. iam monui, dum itaque vi §. II. CL. AVCTOR eo allaborat, vt actu morbum hypochondriacum PAVLLO adhaesisse, demonstrat, parum vel plane nihil causam eius hocce iuuat argumentum. 2) ipsa verba: *vt haud libenter in congressu multorum commorari soleat*, hypothesi, quod PAVLLVS malo hypochondriaco laborauerit, repugnant. qui vult finem, vult etiam media, veritas est philosophiae cultoribus notissima. DEVM esse sapientissimum ex THEOLOGIA quoque constat NATVRALI. sapientiam ergo dum summam exercet, & finem sapientissime electum per media in suo genere optima obtinere intendat, necesse est. inpedimenta ergo remouet, neuiquam vero struit. gradus hinc iste mali hypochondriaci, cuius AVCTOR mentionem facit, *vt ne eo adfectus libenter in congressu multorum commorari soleat*, qui cum apostolatu PAVLLI eique iniuncta praedicationi euangelii per omnes gentes consistere nequit, in ipso dari neuiquam potuit.

§. VIII. SEXTI CL. AVCTORIS \* argumenti vis atque robur quo in consistat, nobis iam erit dispiciendum. formabimus itaque syllogismum cui forma legitima insit. debet is ex mente CL. A hic esse: quicumque longo temporis spatio, quin per omnem vitam aegrotat, aegrotat morbo hypochondriaco ATQVE PAVLLVS. E. verum 1) MAIORIS consequentiam fallere testantur omnes, quotquot debilia admodum a natura acceperunt membra. hi ergo dum virium defectum sentiunt, a primis incunabulis ad vltimum vsque halitum minus prospera gaudent valetudine, de hisce vero quis vnquam pronuntiauit, eos malo laborare hypochondriaco. 2) res ipsa non permittit, vt PAVLLO hypochondriacum adscribamus malum. palus enim quoniam a DEO *datus* dicitur, & quidem eum in finem, vt ne efferatur de sancta sibi facta re.  
ucla,

\* ipsa ipsius verba vide l. c. §. XXIX. p. 33.

relatione, prius ei dari non potuit, quam post visionem istam, quae ei in via contingebat DAMASCENA. hanc inter vero & huius 2. COR. epist. consignationem dum non adeo longum intercedat temporis spatium; ordinem\* si consideremus, quo scripta APOSTOLICA in vulgus sunt edita: non per ita longum temporis spatium palus PAVLLO fuit infixus. iam vero dum AVCTOR ex eo PAVLLO adtribuit adfectus hypochondriacos, quod *per longum temporis spatium* aegrotaverit, palus vero non per adeo longum temporis tractum illi fuit infixus; palus hac ex ratione non potest esse malum hypochondriacum, & AVCTOR propriae ita nocet causae.

§ IX. ORIGINEM atque causam morbi hypochondriaci CL. AVCTOR\*\* dum scrutatur, idque plerumque cum vita sedentaria coniunctum esse deprehendit, SEPTIMAM inde inuenisse credit rationem, cur PAVLLVM pronuntiet hypochondriacum, ex verbis enim, quibus vitur, si iudicari debet, haec ipsi mens sedit: quicumque vitam degit sedentariam, ille est hypochondriacus. ATQVE PAVLLVS\* E. verum vt dicam, quod res est, in MAIORI CL. AVCTOR in regulam istam metaphysicam, vel sexcenties ab eo neglectam: a posse ad esse non valere consequentiam, iterum impingit vita sedentaria huius interdum est efficaciae, hoc concedo, verum non semper in omnibus indiuiduis, e. g. tutoribus idem sequitur effectus. taceo, haud pauca symptomata debere esse connexa, si morbus adesse debeat hypochondriacus, in quae vita tamen sedentaria nullum habet influxum, & quorum naturam atque indolem qui cognoscere cupit, conferat de la MOTTE\*\*\*

§. X. TANDEM fortuna nos iuuat, vt ad vltimum, quod ordine OCTAVVM est, perueniam argumentum, vel vt rectius loquar, paragraphum excutiam, quae vltima continet argumenta. re

B 3

ipfa

\* THEODORETVS istum refert TOM. III. in principio & ex eo B. ABAVVS IOA. QVISTORPIVS annotationibus in omnes libros biblicos, speciatim v. in ep. ad ROM. C. I. p. 246.

\*\* l. c. §. XXX. p. 33. sq. \*\*\* l. c. §. XXVIII. sqq. p. 33. sqq.

ipfa enim non vnica fed duae adhuc a CL. AVCTORE adlatae sunt rationes. PRIMA ab ingenio atque acumine intellectus PAVLLI est defumta. de hominibus valetudinariis, inquit \*, *hypochondriacis maxime obferuant, eos ingenioſiſſimos et plurimum eſſe acutiſſimosque, id quod denuo in noſtrum hypochondriacum optime quadrat, quo vix alius. APOSTOLORVM fuit ingenioſior aut prudentior.* quae in ſyllogiſmum reducta ita fluerent: quicumque ingenio atque acumine intellectus pollet, is eſt hypochondriacus. ATQ. PAVLLVS. E. quod ſi vnquam MAIOR fuerit falſa, haec ſane eſt falſiſſima. euoluamus modo, quid ingenii atque acuminis intellectus inferat notio. ingenium PHILOSOPHIS dicitur facultas animae ſimilitudines rerum quam facillime inueſtigandi. ſimilitudo conſiſtit in identitate. duarum vel plurium rerum; identitatem qui euincere ſtudet, ad ea, quae ſibi debent ſubſtitui, refleſtat, neceſſe eſt. iam vero dum ea, in quo ſibi poſſunt ſubſtitui, vel non, inter ſe ſunt coniuncta, ad quodlibet entis partes refleſtendum erit; iſte actus, quo reflexio in qualibet parte reperitur, quem dicatur attentio, ad exercitium ingenii requiritur attentio, ad acumen intellectus quod attinet, id ea dicitur animae promitudo qua meditando ad maiorem diſtinctitatis gradum peruenire poſſumus. meditatio vero dum ſupponit attentionem, ad acumen intellectus & attentio requiritur. ſenſus atque imaginationem turbare attentionem, experientia conſtatutum eſt. mali hinc hypochondriaci dum vi §. VI. ſacuitia foret maxima, & anima iſtam ob vinculum corpus inter atque animam intercedens ſibi repraeſentaret. repraeſentando iſta non poſſet non turbari adtentio, adeoque omnis vis ingenii ſicque operatio acuminis ceſſaret. ex quo relinquitur, quotquot malo opprimuntur hypochondriaco, nec ingenium nec acumen intellectus exercere poſſe. non melius ſibi conſtat poſterior ratio, quam eadem haecce §. complectitur. *cactera, inquit hypochondriaco malo laborantium ſigna omnia habuiſſe videtur APOSTOLVS. triftis eras, conſtans, & firmus in actionibus ſuis, corpore gracili.*

\* loc. cit. §. XXXI. p. 35.

cili. sed quorsum haec spectant? num signa commemorata sunt adfectiones hypochondriacorum propriae, annon potius accidentia, quae in aliis se quoque saepius exlerunt, qui in hypochondriaco malo non luctantur.

§ XI. REIECTA hypothefi CL. RIESII & destructis argumentis, quibus eam adstruere voluit, pergo ad alterum, quod pollicitus sum, & paucis, quam faueo de vexato hoc loco sententiam, exponam. verba textus ita fluunt: *Et ne excellentia revelationum supra modum effrar, datus est mihi furculus, infixus carni, angelus satanae, ut me colaphis caedat. ne supra modum effrar.* furculum, qui hic commemoratur, de adfectionibus variis eisque grauissimis quas PAVLLVS in corpore sentiebat, explicandum esse, reor. eas autem simulac instarint, mox excepisse tribulationes satanae, credo, ut hoc respectu nomine τῶν ἀγγέλων, siue nuntii satanae vocentur, quia PAVLLVS ex harum perceptione imminentem satanae aduentum collegerit, duobus ut adparet, haec sententia principis innitur, vtrumque, ne gratis eam adsumfisse videar, paucis firmabo.

§. XII PRIMO suppono, quod iurenlus adfectiones corporales varias, easque grauiore designet, eumque per metaphoram σκολοπα ab APOSTOLO dici, manifestum est, cum autem iuxta §. I. interpretis sit, rationem metaphorae reddere, siue tertium comparationis eruere, id mihi ex historia, quo PAVLLVS functus, omnium optime repeti posse videtur. constat ex actibus apostolicis & epistolis a PAVLLO diuino nutu consignatis, eundem vocationi diuinae satisfacturum in eiusmodi haesisse regionibus, quae ROMANORVM parebant inperio. horum itaque mores, ut ipsi non poterant esse ignoti, ita & loquutionibus illius metaphoricis occasionem facile praebere poterant. haud infima vero poe-

a, quibus ROMANI ad obsequium subiectos sibi adigebant, erux

erat

erat, quam in simplicem atque compactam diuidebant, illa, teste LIPSIO\* vocabatur, quando in vno simplici ligno adfixio vel infixio fiebat. simplicem crucem siue infixionem, quam praecipue spectro, LIPSIVS excitatus adserit eos statuisse, \*\* *cum nudum hominem erecto acutoque stipiti infingerent*, quorum verborum sensus quo magis elucescat, adducam, quae PLINIUS refert. \*\*\* *cogita carcerem & cruces & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem*. hanc infixionem vt in hoc dicto & in hoc malo PAVLLINO respici credam, me mouet idem LIPSIVS, qui postquam quemdam HESYCHII locum produxerat, & converterat, in quo haec describitur crucis species, voxque sudifixionis *σκολοπις* redditur, tandem subiicit, \*\*\*\* *ubi amplius disco, proprie hoc esse σκολοπις & σκολοπιζειν, ubi legitur, plerumque referendum ad hanc formam* varia, quae hocce supplicii genus vel antecedunt, vel concomitantur, aut subsequuntur, si inuestigemus, nihil eorum in PAVLLVM magis conuenit, quam intensissimi illi dolores, quos infixio illa non poterat non adferre. hi enim carnem permeant, sicut palus infixus interiores corporis partes intime percutit, misereque discerpit, dilaceratque. quoniam praeter ea etiam APOSTOLVS expresse pali carni infixi mentionem facit, eo minus dubito, tertium, cuius respectu palum sibi vindicat PAVLLVS, dolores esse a cruce indissolubiles. nec obesse huic sententiae, qui obiiceret: absonum esse, effectui causam imponere nomen. dolores enim pali infixionem vt effectus causam demum sequi, sed qui consuluerit ACT. XVII. 31. I. IOA. V. 4. ei facile patebit, linguae graecae indolem modum hunc loquendi omnino admittere. superest adhuc, vt remoueantur dubia, quae a RIESIO excogitata sunt, & huic opinioni obuerti possent, sunt nempe qui palum angelumque satanae, tamquam *unum idemque* considerant, & vtrumque afflictiones varias significare putant. hi licet non nihil a me discrepent, in eo tamen

\* de CRUCE C. V. p. 8. \*\* l. c. C. VI. p. 10. \*\*\* ep. XIV. \*\*\*\* l. c. C. VI. p. 11.

men mecum consentiunt, palum de afflictionibus capiendum esse, dubia itaque, quae hoc respectu istis opponuntur, me quoque ferire videntur. obiicit vero RIESIVS 1)\* *repugnare hanc explanationem scopo proposito, qui est vt elationi ponatur repagulum.* rationem hinc addit, quod calamitates subigendae ambitioni non sufficient, sed ipse sibi repugnat AVCTOR. vbi enim est elatio, ibi & sensus perfectionum. Calamitatibus vero qui est obrurus, vitam degit imperfectam. vbi adest imperfectio, ibi & sensus est imperfectiois, consequenter taedium. taedium atque animi elatio sunt opposita, oppositorum concessio vno non est ponendum alterum. in quo ergo residet taedium, illi *eodem tempore* non est tribuenda elatio. ergo supposito quod PAVLLVS afflictus fuerit calamitatibus, elatio penes eum *eodem tempore* locum habere nequit. duo igitur haec dum AVCTOR *eodem tempore* in PAVLLO quaerit, contradictoria defendit. vt taceam, ex S. S. litteris abunde intelligi, inter media, quibus DEVS homines castigat, animumque elarum deprimit, esse calamitates, teste DAVIDE Ps. CII. 5. 6. 7. 2)\*\* *memorat PAVLLVS in nostro textu vnicum solum σκολοπα sibi datum, angelum satanae aduersarium in numero singulari. si autem designare hisce vocibus intendisset aduersarios, aut ab aduersariis sibi adlatas iniurias, tunc non singulari vti debuisset, sed plurali numero.* quam infirma vero leuifque haec sit ratio abs AVCTORE producta, testantur quam plurima SCRIPTVRAE S. V. & N. T. dicta\*\*\* in quibus singularis cum plurali permutatur numerus, ex quibus prouocasse sufficit ad IOA. VIII. 44 & APOC XXI. 21. prior enim locus totam angelorum malorum cohortem vt vnicum sistit diabolum; posterior vero vnicac tantum plateae in ciuitate, X. instructae portis, mentionem facit. alia quaedam adhuc proponit dubia AVCTOR; quae vero quum nullum momentum trahant, temporis causa praetermitto.

§. XIII. ADTINGENDVM adhuc est posterius membrum, & a me perficiendum, afflictiones illas corporales esse *αγγελων*  
C s. num.

\* l. c. §. IV. p. 4. \*\* l. c. p. 5. \*\*\* insignem eorum recenset numerum GLASSIVS l. c. L. III. TR. I. CAN. XXII. p. m. 613. sqq.

f. nuntium imminentis satanae aduentus. hoc vt probem, operam dabo. duplicem vox *αγγελος* habet significatum, alterum, quem dat etymologia, & qua idem est cum participio *αγγελων*, alterum, quo in sensu praegnantem substantiam denotat spiritualement per se subsistentem s. competam. priorem hic inuenire locum, puto, quod res optime inde explicari potest. nec prorsus incongrua (citra tamen abusum) est, quod obiici alias posset, haec loquendi ratio, qua rei inanimatae nomen tribuitur substantiae immateriali competens. nam ipse SPIRITVS S. hac phrasi vtitur, PROV. XVI. 14. ubi legitur: ira regis est nuntius mortis. iram ad adfectus & quidem ingratos referri, res est manifesta. eam hanc ob causam & animae, in qua gignitur, esse tribuendam, lubentissime profiteor. ob conuenientiam interim qualemcumque operationum corporis & animae motibus corporis, qui cum ira connexi sunt ipsum interdum irae nomen datur. B. GEIERVS\* quo ostendat, quae sit conditio irae regis, & quomodo ea dici possit nuntius mortis, ita loquitur: *consequens huius irae, vel periculum inde emergens, effertur metaphorice, quod sit nuntius mortis, q. d. quot vides in rege indignationis signa, frontem caperatam, oculos flammantes, nasum spirantem, pedem terrae incussum, tot imaginare tibi praecoones mortem excitumue offendenti ministro subitum clare d-nuntiantes.* atque ita vere res quoque sese habet in dicto nostro. vti motus hi corporis regis irati signa sunt subditis, ex quibus colligere possunt vitae periculum imminere: ita PAVLLO afflictiones corporales signa sunt, tribulationes satanae animam mox tentatum & diuexatum iri nec obiici potest, voci *אֲנִי* ab hebraeis aliam forsitan tribui notionem, quam a graecis voci *αγγελος*. oppositum enim adparet ex versione LXX, qui *אֲנִי* reddiderunt: *αγγελος*. quum itaque haec significatio vocis *αγγελος* locum in SALOMONE inueniat, eam quoque ad verba PAVLLI transferre nil prohibet, siue extum, siue analogiam fidei consulam. quapropter hanc explicationem reliquis merito antepono, eruditorum tamen arbitrio illam iubens submitto.

PEDEM

\* COMMENT. in h. l. p. 826.

PEDEM hic figere, scopus, quem primo loco mihi praefixi, mandat, postulat. FASCES RECTORALES VIR MAGNIFICE SVMME REVERENDE quum hodierna TIBI tradantur die, vt publice meam animo inde subortam testarer laetitiam, consultum duxi. peruicacissimo enim sane essem animo, si variis beneficiorum generibus, quibus me cumulasti, nondum, vt quaeuis TIBI adprecor prospera, forem commotus. doctae, si quid commemorem, & solidae TVAE in doctrina coelesti institutioni non leuia debeo. hoc vti grata semper prosequar mente. ita praecipue mihi gratulor, quod RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM TE hodie salutare queam. probe interim quum sim gnarus, quantis cum molestiis, curisque regimen quod suscipis, sit circumdarum, supplex veneror SVMMVM, quod omnia regit, NVMEN, ardentissimisq; ab eo contendo precibus, velit singulari TIBI adesse gratia vt ne tot tantisque laboribus abs TE suscipiendis succumbas. suppeditet largissime omnia dona, quo non hac tantum, sed & septima atque pluries adhuc repetita vice aliquando scepra gerere queas academica! confirmet TE DEVS, qui membrum es eos inter, qui columnae sunt ecclesiae LVTHE-  
*RANAE fortissimae*, quique de puritate doctrinae coelestis ne latum vnguem recedunt, longe meritissimum! largiatur TIBI gratiam, vt detractiones eorum, qui insidias innocenti struunt, haud noceant! paucis ut multa dicam, conseruet TE DEVS ecclesiae! in MEGAPOLI puriori, quo mala a peruersis illi imminet & TVA retorqueantur opera! conseruet TE splendidae TVAE familiae, cuius summum es gaudium atque decus! conseruet TE denique omnibus, quotquot ex animo litterarum fauent incremento. sic vale, ac mihi faue.

10

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

10

3









PEDEM hic figere, scopus, quem primo loco mihi praefixi, mandat, postulat. FASCES RECTORALES VIR MAGNIFICAE SVMMAE REVERENDE quum hodierna TIBI tradantur die, vt publice meam animo inde subortam testarer laetitiam, consultum duxi. pernicatissimo enim sane essem animo, si variis beneficiorum generibus, quibus me cumulasti, nondum, vt quaeuis TIBI adprecer prospera, forem commotus. doctae, si quid comleuia debeo. hoc vt grata semper prosequar mente. ita praecipue mihi gratulor, quod RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM TE hodie salutare queam. probe interim quum sim gnarus, quantis cum molestiis, curisque regimen quod suscipis, sit circumdarum, supplex veneror SVMMVM, quod omnia regit, NVMEN, ardentissimisq; ab eo contendo precibus, velit singulari TIBI adesse gratia vt ne tot tantisque laboribus abs TE suscipiendis succumbas. suppeditet largissime omnia dona, quo non hac tantum, sed & septima atque pluries adhuc repetita vice aliquando scepra gerere queas academica! confirmet TE DEVS, qui membrum es eos inter, qui columnae sunt ecclesiae LVTHE- RANAE fortissimae, quique de puritate doctrinae coelestis ne latum vnguem recedunt, longe meritissimum! largiatur TIBI gratiam, vt detractiones eorum, qui insidias innocenti struunt, haud noceant! paucis ut multa dicam, conferuet TE DEVS ecclesiae! in MEGAPOLI puriori, quo mala a peruersis illi imminetia & TVA retorqueantur opera! conferuet TE splendidae TVAE familiae, cuius summum es gaudium atque decus! conferuet TE denique omnibus, quotquot ex animo litterarum fauent incremento. sic vale, ac mihi faue.

✿ ( o ) ✿

✿

